

E libris  
**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

*G. o. 167.*



2

# APHORISMI PAEDAGOGICI

---

IN VSVM  
COLLEGII DISPVTATORII

---

AVCTORE  
IO. GEORG. HENR. FEDERO

PHILOS. PROF.



---

Apud JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH

1776.

APHORISMEN PÄDAGOGICI

COLLECTIO DISPUTATIONUM

IO. GEORG. HEINR. FEDERO

JOHANN ANTONIUS DIETRICH



DILECTISSIMIS COMMILITONIBVS

S.

Quas singulis adhuc semestribus instituere solitus sum exercitationes disputatorias, peculiari scopo, cui etiam nunc inservire, omnino accommodare animum induxi. Cuius iam consilii, quas habeo, causas [sincere *Vobis* expositurus, *Commilitones*, neque *Vestram* mihi futuram esse diligentiam, neque a vitae meae ratione alienum hoc, quod molior, aequis ac prudentibus harum rerum censoribus visum iri, spero. Primum quidem *artem paedago-*

A 2

*gicam*

gicam eius esse et usus et indaginis, ut disciplinis academicis absque temeritate adnumerari possit, iam fere in confesso est. Cui cum in amplissima hac litterarum officina et olim scholas aperuerit S. V. *Busching*, vir meritorum multitudine atque momenti haud facile cuiquam secundus, et dicauerint postea viri in hac palaestra exercitatissimi atque eruditissimi; meam quoque qualemcunque operam in arte ea, seu propaganda seu perficienda, collocandi cupidissimus, cum nullam earum, quas plurimas adferunt logicae et morales disciplinae, occasionem sciens praetermisi, tum amplificandi etiam huius inter nos studii consilia diu agitaui. Iam cum saepius ad me perferantur litterae, quibus studiorum morumque moderatorem mihi exploratum



ratum commendatumque expetant; diu plerumque haesito inops consilii, cum, nisi quem ipse cognitum perspectumque aliquo certe experimento habeam, fiduciam talem in me collocantibus parentibus commendare religioni mihi ducam. Vbi iucundissimum mihi aliquoties accidit, inter eos, qui disputationibus mecum philosophicis operam nauarent, negotio huic idoneus vti aliquis innotesceret. Et adfert omnino illud exercitationis genus haud inutilia, cum ingenii alacritatis atque acuminis, tum earum, quas in paedagogo cum primis postulaueris, animi virtutum, modestiae, verecundiae et constantiae explorandae pericula; praeterquam quod litteras quo quis tractaverit studio, maxime quae ad humanitatem pertinent, facile adpareat,

A 3

quip-



quippe ad omnes, quae sedulo etiam ad hoc strui possunt, infidias, ante nemo fatis se parare potest. Itaque consiliis hinc nostris adeo facile conspirantibus, aptum iam atque accommodatum maxime videbitur, futuris, si qua me moderatore initari iterum estis, disputandi exercitiis materiam omnino paedagogicam proponere; quippe quam nec iis putem ingrata esse posse, qui nomen paedagogi non appetant, cum ad psychologiae penetralia eadem ducat, neque vero facile aliquis reperiatur, qui paedagogicam prudentiam sua plane nihil interesse censeat. Ecce igitur *Vobis* iam selegi positiones eas, quas et crebra meditatione plebrasque iudicabitis dignissimas, quasque ita consilio etiam posui aut enuntiaui, ut reprehensionis ansam prae-  
ripe-



---

riperere *Vobis* omnem voluisse non facile videri possim. Potius arma *Vobis* subministraturus excitavi saepius auctores classicos, qui vel contrariae sententiae addicti sint, vel ulteriori saltem disquisitioni lucem accendant. Valete. Dab. in Georgia Augusta mense Ian. MDCCLXXVI.

---

*Th. I.*

**I**nstituendorum atque verò etiam erudi-  
endorum liberorum inde ab incunabu-  
lis fieri debet initium *a*). Natura exco-  
lenda est, non sibi relinquenda; neque  
ergo mere *negatiua*, vti vocant, prima  
potest esse educatio *b*).

*a*) cf. *Quintilianus* Instit. Orat. I. r. *Rousseau*  
Emile, ou de l'education vol. I. pag. 93 seq.  
edit. Amst. 1762.

*b*) cf. *Rousseau* pag. 203 seq.

**II.**

In educatione vniuersim, maxime in  
poenis constituendis atque infligendis,  
non tam ad effectus proximos, quam ad  
eos, qui in adultis futuri sunt, prospici-  
endum est. Denique ea, quibus ipsa aetas  
subsequens medelam certo adferat, ab iis  
sedulo distinguenda sunt vitiis, quorum  
serpit labes et perdurat.

**III.**



## III.

*Kυριαν δογμα*, plus agendum esse quam praecipendum a). Cui hoc iungi meretur, non cum maxime velis, sed cum maxime possis, et agendum quodlibet esse et praecipendum.

a) cf. *Locke de l'Education des enfans* Amst. 1721. 8. Sect. V.

## IV.

Virgas et verbera ex paedagogia plane proscribenda esse, parum abest, quin contendam a).

a) Rationes expedit *Lockius* III. §. 48 seq. cf. tamen §. 80. 86. 87. 89. et comp. S. V. *Milleri Grundsätze der Erzieh.* §. 87.

## V.

Primae educationis cura inter patris aequae ac matris esto officia.

## VI.

Neque incunabulorum agitationes, neque fascias, neque in puellis thoraces omnino damno; atque in omni hoc, quod ad corpus spectat, praeceptionum genere, experientiam utique consulendo, caute proceden-

cedendam esse censeo a). Addo, siquidem constat in disceptationem hoc quoque vocatum esse, naturae nutu atque instinctu *erectos homines ad sidera tollere vultus*. Denique officium matris lac praebendi nato nimis hodie a nonnullis urgeri existimo.

- a) *Lockii* praeceptis lubens accedo Sect. I. Plura nobisque contraria quaedam v. in *Brechtens Briefen über den Nemil des Hrn. Rousseau* Th. I. Br. VI. VII. XIX. f.

## VII.

Modeste quaerentibus praeceptorum ratio, qualem capere possit aetas, reddenda est.

- a) V. *Locke* §. 84. Parum firma sunt, quae opponit *Rousseau* vol. I. pag. 188. seq.

## VIII.

Nunquam falsa dicenda sunt a paedagogo; ergo sciscitantibus veritas dicenda vtique est. Est vero modus in rebus; eumque tenere artis opus.

## IX.

Errores nonnulli ferendi sunt; praeiudiciis ergo etiam locum relinquo, sed  
non



non iis, quibus rectius careant, et vero liberari possint. Quibus vulgares de spectris opiniones nemo non accensuerit. Quaedam etiam memoriae mandari, quae parum adhuc intelliguntur, neutiquam absonum plane est censendum.

## X.

Inter ea, quibus pueritia, quin infantia imbuenda est, ordinis seruandi studium primum occurrit; dein honestae laudis appetitio; denique veritatis amor omni cura excitari ac foueri debet.

## XI.

Grati animi conspicua magis videntur in infantibus quam misericordiae congenita semina; quae vtraque et exemplis et praeceptis studiose fouenda sunt.

## XII.

Supremi numinis notitia aliqua perutili triennis certe discipulus imbui potest. Completa autem religionis christianae descriptio vltra decimum etiam annum differri posse videtur. Valde quidem vituperan-

peranda consuetudo est, voluminoso, quem dicunt, catechismo memoriae mandando plurimum temporis impendens. Neque biblia sacra integra pueritiae satis conueniunt. Ad hanc primae institutionis partem S. V. *Scileri Historischer Katechismus* valde mihi videtur commendabilis.

a) cf. S. N. *Miller* §. 64 seq.

### XIII.

Priuatane an publica institutio sit praeferenda, generatim constitui nequit a).

a) V. *Quintilianum* l. 2. pro publica, et *Lockium* Sect. VII. pro domestica educatione disputantem.

### XIV.

Ingeniorum diuersitates magis pendunt a caussis externis, quam a natura. Animis ipsis inesse eius diuersitatis initia, nulla sufficienti ratione adferri potest. Naturae tamen sunt incitamenta quaedam potiora; quibus, quantum fieri potest, obtemperandum est. Quare etiam sibi relinquendi sunt interdum, et omnis generis exercitationibus periclitandi discipuli, antequam



tequam vni addicantur. Addici autem  
quin deuoueri nondum natos, quis ferat?

### XV.

Neque poëtam nasci magis quam fie-  
ri concedam; philosophum potius aio.  
Eius etiam diuersitatis, quapropter *inge-  
nia κατ' ἐξοχην*, nisi *genii*, dicuntur, caus-  
fas in voluntatis propensionibus et rebus  
externis maximam partem inuenisse mihi  
videor.

### XVI.

Interest non nihil paedagogiae animos  
esse simplicis naturae.

### XVII.

In pueritia regenda parçe adhibenda  
videntur religionis momenta; in adolef-  
centia compescenda nil aequè efficax.

### XVIII.

Ferenda sunt quaedam in aegrotanti-  
bus animi vitia, valetudinis recuperandae  
gratia.

### XIX.

---

 XIX.

Magna pars prudentiae paedagogicae continetur in ludis inveniendis, dirigendis, obseruandis.

a) cf. S. V. *Milleri Grundsätze* §. 43. *Basedouit Elementarbuch* edit. 2.

## XX.

In tradendis *litterarum elementis*, modo vnum hoc perpetuo obserues, vt nisi opportuno tempore et exoptatus quasi ad institutionem non accedas, et antequam significet discipulus, finem imponas, aliis adminiculis a) opus non erit, praeter amantissimi liberorum hocque nomine optime meriti *Weiffii* notissimum libellum. Ante vernaculam aliam doceri linguam infantes, non est cur laudem b).

a) Qualia *Quintilianii* iam tempore in vsu fuerunt, v. I. I. 26.

b) V. *Quint.* I, I. 12, seq.

## XXI.

Ad litterarum studia excitanda poenae directe non sunt adhibendae.

## XXII.



## XXII.

Ut primum litteras nouerit, ad *geographicam* institutionem satis instructum cenfeo, et hoc quasi vehiculo reliquae tantum non omnis cognitionis vtendum. Commendo *Raffii* nuperrime typis descriptum libellum *Geographie für Kinder*.

## XXIII.

Linguae latinae, quam ad liberalem ingenui hominis institutionem pertinere vtique existimo, addiscendae initium post sextum annum tuto fieri potest. Methodum hanc propono. Post paradigmata nominum et verborum, non omnia, sed vsu frequentiora, iam ex tabula perspicienda, iam orali traditione percipienda, iam scriptione repetenda, aliqua interim vocabulorum copia cum lectione tum auditione memoriae mandata, ad colloquia Langiana accedi potest, interpositis ex Tyrocinio (*der angehende Lateiner*) pensis electis. Mox ad Phaedrum, Eutropium, Historias selectas, aut alias Chrestomathias licet progredi. Classici Romanorum poetae iuuen-



iuuentuti integri haud conueniunt. *Ba-  
sedouii* librum elementarem ad confabula-  
tionum, quarum insignis mihi in addiscen-  
da lingua etiam latina vsus esse videtur,  
materiam inde depromendam perutilem  
existimo, recteque ab eo prudenterque  
curatum esse, vt notissimarum etiam re-  
rum imagines aere excuderentur. Gram-  
maticae siue lectio cursoria siue interpreta-  
tio, vna cum definitionibus istis partium  
orationis logico-metaphysicis, ex pueri-  
li institutione proscribenda.

## XXIV.

Historiae suis periodis distinctae syste-  
matica descriptio institui etiam debet ante  
exactos pueritiae annos. Non solum enim  
memoria tunc est valde tenax, sed ad re-  
liqua etiam, quae vel lectu vel auditu per-  
cipiuntur, aptis locis disponenda ea prae-  
paratione opus est. Neque habet ea res  
quicquam difficultatis, dummodo in dele-  
ctu seruetur modus. Neque ergo nume-  
ris exactissimis tempora sunt dimetienda,  
neque omnium omnino post U.C. aut Ch. N.  
seculorum regnorumque mentio facienda  
est.

XXV.



## XXV.

Numeros tractandi, necessitas cum  
nulli vitae nostrae parti aut cognitionis ge-  
neri non interueniat; *arithmeticae* etiam  
cum primis fieri debet initium. *Geome-  
triae* etiam eas partes, quae planorum re-  
ctilineorum mensuras docent, puer tracta-  
re potest. *Imagines delineandi* artem  
omnes docendi sunt, omnes *musicam*.

## XXVI.

Rudimenta scientiarum artis limitibus  
circumscripita in calamus dictari vsum ha-  
bet. In academiis illi methodo locus non  
est.

## XXVII.

Conducit lingua vernacula in acade-  
miis scientias tradi.

## XXVIII.

In scholis inferioribus philosophia,  
praeter partem moralem, physicam expe-  
rimentalem et historiam naturalem, exem-

B

plis

plis solum discenda est. Logica enim; demta psychologia, quae institutionibus academicis rectius seruatur, temporis atque operae pretium non habet.

---

### XXIX.

Fabularum Aesopicarum lectio pueritiae adprime conuenit *a)*; Romanensium iuuentuti etiam plerumque periculosa est.

*a)* Dissentit *Rouffean* I. pag. 275 seq.

### XXX.

Inter utilia stili exercitia, non pueritiae, sed prouectioris aetatis, compositiones libere meditatae cum prosaicae tum metricae locum mereri omnino videntur.

*a)* V. tamen *Lockium* §. 186 seqq. et S. V. *Miller*. §. 52. Nro. 8. 9. §. 56.

### XXXI.

Ludos scenicos ex scholis proscribendos puto; etiam examina publica potius



potius abroganda; non aequè actus oratorios.

### XXXII.

Vitia etiam nosse ad perfectam educationem pertinet; et vero cauendum ne aut in iis detestandis aut in virtutibus extollendis nimii simus.

a) V. *Locke* §. 37.

### XXXIII.

Peregrinationes valde vtilis ad quæ eam aetatem vsque differendas esse, qua rectore non amplius opus sit, consentio, pueritiae vtilis esse nego.

a) cf. *Locke* Sect. XXVII.

### XXXIV.

Ad quinquennium conferri munera scholastica, aut, quod eodem fere reedit, ecclesiastici ministerii candidatos ad ea solum adhiberi, non conducere mihi satis videtur a).

B 2

a) V.

- a) V. famen contrarium grauibus argumentis commendantem S. V. *Resewitz* von der Erziehung des Bürgers S. 200 seq. et S. V. *Miller* §. 96. Schol. IV.

## XXXV.

Doctores scholastici nulla magis re, quam praemiis propter eminentiores discipulos collatis, excitandi videntur.

## XXXVI.

Eruditorum atque artificum separata esse gymnasia litteraria, non necesse est, neque vtile; nisi forte in iis vrbibus, vbi vnum omnes discipulos non caperet a).

- a) V. vero S. V. *Resewitz*, l. c. Sect. II.

## XXXVII.

Adolescenti in academiis comes qui adiungitur, non nisi amici suaforisque vicibus fungi potest.

## XXXVII.



## XXXVIII.

Sibi ipsi saepius relinquendus est, qui  
 mox in perpetuum sibi relinqui debet. A  
 saltibus in vniuersum cauendum est in  
 educatione.

## XXXIX.

Praeceptoris mores egregie pingit  
*Quintilianus* (II. 2.) Quo modo curandum  
 sit, ne agrestes sint, docet *Lockius* (§. 96.)  
 Studia, quibus idoneum se ad educatoris  
 officium aliquis reddat, haec sunt. Pri-  
 mum historiae omni ambitu suo nosse de-  
 bet synopsis et subsidia, dein mathesin  
 puram, physices quoque principia saltem  
 generalia et communiorum euentuum  
 causas; tum vero psychologiam omnem  
 ad se maxime pertinere censeat; et lin-  
 guam quidem, praeter vernaculam la-  
 tinamque, gallicam maxime ab eo requi-  
 ri fatis constat.

## XL.

Antequam ad munus id accedat, le-  
 gendos ipsi ac sedulo tractandos commen-  
 damus

damus *Lockii*, *Rousseauii*, *Milleri*, *Bas-*  
*douii* de educatione libros. Et quoniam  
in disputationum gratiam hoc quidquid  
est, scribimus; non a scopo erit alienum  
coronidis quasi loco addere, nos, *Rouf-*  
*seauii*, *Basedouii*que praecepta paedagogi-  
ca in controuersiam vocata, si ab iis, rece-  
das, quae ad reuelatae religionis dogmata  
et auctoritatem spectant, tantum non  
omnia, in collegio nostro tuendi pericu-  
lum suscepturos esse; neque tamen perti-  
naces adeo, vt veritati potius, quam opinio-  
ni semel susceptae, deesse velimus.






vd 18

ULB Halle


3

005 018 501









APHORISMI PAEDAGOGICI

IN VSVM

COLLEGII DISPUTATORII

AVCTORE

IO. GEORG. HENR. FEDERO

PHILOS. PROF.



Apud JOANN. CHRISTIAN. DIETERICH

1776.

